tate $(bb)^{\frac{1}{2}}$, exponens $\frac{1}{2}$ deſignat litteram b, dimidio minus ſumendam eſſe quam in bb, ac proinde ſemel tantum, quare $(bb)^{\frac{1}{2}} = b = a^{\frac{1}{2}} = \sqrt{a}$. Idem patet de aliis quibuſcumque exponentibus. Res autem tota magis ac magis illuſtrabitur, explicatis quatuor arithmeticæ operationibus in quantitatibus ſurdis.

Quantitates ſurdæ adduntur vel ſubtrahuntur faciliime, ſi ejusdem ſint exponentis & eamdem habeant ſub ſigno radicali quantitatem. Si autem res non ita ſe habeat, ſæpiſſime contingit quantitates ſurdas ejusdem ordinis ad eamdem quantitatem ſub ſigno radicali poſſe revocari. Ita ſi addi vel ſubtrahi debeant quantitates radicales $\sqrt{48abb}$, & $b\sqrt{75a}$, prima per reductionem mutatur in $4b\sqrt{3a}$, altera autem in $5b\sqrt{3a}$. Quare in 1 caſu habebitur $9b\sqrt{3a}$, in altero autem $b\sqrt{3a}$. Totum reductionis artificium in eo conſiſtit ut numeri ſub ſigno radicali poſiti quærantur diviſores, inter quos ille eligatur, ſi quis fuerit, ex quo liceat radicem extrahere ejusdem ordinis, cujus eſt ſurda quantitas. Si aliquem ejuſmodi diviſorem invenias, ejus radicem præfige ſigno radicali quo includatur tantummodo alter dati numeri coefficiens. Si autem nullus talis diviſor inveniri poſſit, jam quantitates radicales in additione ſigno + connectendæ, in ſubtractione autem ſigno − ſeparandæ.

De-